


170



155

fuimus ad mare projecti, et sic in undis fluctuantes illa nocte
mansimus satis inquieti.

Quinta die, manente eodem vento, inter fluctus eramus
delati ad pessimum maris districtum, quem Cornerum nominant,
in quo navigantes semper cum periculo versantur, quia mare
ibidem velocissimo cursu contra Anconam tendit: et naves
magna industria et vi a navigantibus teneri oportet, ne mare
sequantur, quae tamen aliquando violenter rapiuntur, et in
portum anconensem projiciuntur cum maximo discrimine navis
et navigantium. In isto golfo existentes (B) vidimus montana
quae dividunt fines Dalmatiae et Crawatiae a regno Ungariae,
et Ungari, qui peregrinantur ad S. Mariam de Loreto, ibi mare
ascendunt, et ad locum B. Virginis navigant. Sic ergo die
illo parum navigavimus, et tamen in forti motu navis continue
fuimus, et est bene mirabile apud non expertum, quod navi
velocissime currente non navigatur, quod reputetur. Nocte
adveniente invaluit ventus inutilis, et inquietissimam noctem
habuimus, in qua plures de peregrinis debiles multum effecti
sunt: ut capit is vertigo, et stomachi subversio, et gravis ac
dolorosa evomitatio cunctis communis fuit: aliqui tamen
debiliores aliis inde fuerunt facti. Porro tempestate invales-
cente, cum galēoti velum grande tenere vellent, et antenna
jam erecta in altum supra kebam mali esset, alligata sibi
involuto accatone, et cum ipsam antennam in alteram partem
ruere sinerent, solutum est velum, et cecidit supra remos
filius lateris, et cum ventus ipsum velum repente impleret, et
sursum cum vehementia duceret, inhaesit velum remis, et
navim adeo inclinavit ad illud latus, quod ipsa antenna aquam
tetigit, et malus cum tota galēa in latus ruinam repentinam
minaretur: propter quod factus est cursus magnus cum clamoribus
superius, et nos inferius de lectulis nostris cecidimus in
latus aliud, et patronus in puppi paravit se ad evasionem,
scaphamque scissis funibus eiicere mandavit, ut in eam saltaret
nave mergente: quod tamen peregrini inferius ignorabant. Si
scivissent, intolerabilis tumultus ex festinania fugientium ortus
fuisset. Res tamen illa deo nos juvante cum pace fuit
terminata, et ventus velum de remis tulit, navisque restituta
fuit in suum solitum cursum. Si navis, prout in foribus fuit,